

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Dialogus de philosophia, vel, amatores

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

PLATONIS DIALO-
GVS DE PHILOSOPHIA,
VEL, AMATORES,
MARSILII FICINI
ARGVMENT.



V M M A huius dialogi est, quid sit & quale offi-
cium philosophi, definire. Est autem philosophi officium,
diuina nosse, gubernare humana: in illo cōtemplati-
ua philosophia, in hoc actiua comprehenditur. Philoso-
phus itaq; primo diuinam, i. absolutā ipsius boni na-
turā per sapientiam cōtemplatur. Deinde ad id bonū
velut ad finē humanas operationes dirigens humana gubernat. Hæc
autē gubernatio duo requirit. Primum, ut quid humana natura sit,
& quo pacto ducatur ad bonū, à malo remoueatur, cognoscat: quod
quidē per prudentiam philosophus agit. Alterum, ut sic instituat ho-
minum & affectus et actus, sic temperet atque cohibeat, ut ad bonū
quod sapientia ipsa inueniat, & ad quod prudentia deinde direxe-
rat, facile tendant. Id vero per morales virtutes efficitur, quas oēs
vno iustitia nomine Plato complectitur. Atque ex his duobus huma-
norum gubernatio constat. Eiusdem autem est scire rectē hominem
unum, familiam, ac rempublicā gubernare. Quam ob rem qui mo-
ralis est, idem dominus, ciuilis, rex idoneus esset. Ex quibus conclu-
ditur in ipso philosophantis officio hæc oīa contineri, sapientiam, pru-
dentiam, iustitiam, moralem, domesticam, ciuilem, ac regiam disci-
plinam. Per sapientiam diuina cognoscit, per prudentiā iustitiāq;
humana gubernat, dum rem suam, rem familiarem, rempublicam
administat. Eiusmodi est philosophi ipsius officium, quod Plato in
libris de Republica latius explicat, in hoc significat breuius. Ac pri-
mo duas aliorum opiniones circa philosophi officium confutat. Prima
videtur vel Solonis fuisse vel similis alicuius, dicentis id esse quam-
plurima discere: secunda Hippiae sophistæ uolentis philosophiam ar-
tium omnium peritiam esse. His demque confutatis, sententiam quā
prædicimus, breuiter inuuit. Socrates ergo fingitur hæc in scholis
Dionysii, qui grammaticæ elementa Platoni tradidit, aduersus dis-
cipulos duos Dionysii disputasse: deinde quæ in scholis tractauerat,
in corona familiarium suorum à principio recensere.

Quæ insint
in philoso-
phantis offi-
cio.

SOCRATES.



IONYSII Grammatici ludum ingres-
sus iuuenes quosdā uidi honesta indole,
claris ortos parentibus, cumq; his unā eo-
rum et familiares. Aderant autē duo
quidā adolescentuli inuicem contendentes,
qua uerō esset contentio, haud satis
aduerterā. Veruntamen de Anaxagora uel Oenopide
disceptare uidebantur, circulos describentes, & quosdā
sphaera inclinationes depingentes cubito innixi, et intenti
admodum. Ego autē alterius illorum amicū, iuxta quem
sedebā, cubito rangens, interrogauit quid ita contenderent
adolescentes, & num magnū quiddam esset, et pulchrū,
in quo tantū studium ponerent. Tum ille, quid inquit ma-
gnū, et pulchrū? Nugantur. n. de sublimibus quædā, &
philosophantes garrunt. Huius ego responsum admiratus,
ō adolescens inquā, an turpe tibi philosophari uideretur?
cū ruerat acerbe respondes? Alter uero, iuxta. n. abside-
bat amulus quidam istius, cum & me interrogantem,
& respondentem illū audisset, Non expedit tibi Socra-
tes, inquit, interrogare hunc, an turpe existimet esse phi-
losophiā, necne. An non uides ipsum in tumiditate qua-
dā, & saturitate atq; somnolentia uniuersam etatem
egisse, ut credas aliud quicquā eum tibi responsurū, quā
quod turpe sit philosophia? Erat autē iste in musica eru-
ditus, alter aut quem carpebat, in gymnastica. Videba-
turq; mihi oportere eum quem prius interrogaueram,
missum facere, quod agendo potius, quā disputando

Occasio dia-
logi, quæ in-
terdum præ-
termissa

idem cernis, cuius gratia utrumq; lucrum uocas? Quòd si
non habes quod respondeas, me uide. Num lucrum appel-
las omnem possessionem quam quis acquisiuit, uel nihil
omnino, uel parum expendens admodum, cum plus acci-
piat? HIP. Id lucrum uocare mihi uideor. SOC. An
huiusmodi dicis, seu si quis nihil expendens abunde epu-
latus sit, & ex epulis morbum acquisiuerit? HIP. Non
per Iouem. SOC. At bonam ualitudinem ex epulis ad-
eptus, lucrumne an damnum assequeretur? HIP. Lucrū.
SOC. Non est igitur lucrum, quodlibet acquirere. HIP.
Non certē. SOC. Nunquid ita se habet, ut non lucre-
tur qui quod uis assequitur, siue bonū, siue malū? HIP.
Apparet. SOC. Neque in dānum incurrat, qui in quod-
uis incurrit, siue bonum siue malum? HIP. Mihi quidē
uidetur. SOC. Cernis ergo quòd circa idem reuolueris?
Lucrum enim bonum, damnum uerò malū apparet. HIP.
Ignoro quid dicam. SOC. Et iure quidem. Sed præterea
hoc mihi responde. Si quis minus expendens plus acce-
perit, lucrari hunc diceres? HIP. Dico, modo ne ma-
lum lucretur, sed uel auri, uel argenti minus erogans,
plus accipiat. SOC. Enim uerò hoc insuper interrogabo,
si quis dimidiam auri libram erogans, duplum reportet
argenti, lucrum, an damnum sit? HIP. Damnum pro-
fecto, ò Socrates: nam pro duodecuplo duplum solummo-
do capis. SOC. Veruntamen plus accepit. An non plus
est duplum dimidio? HIP. Non eiusdem dignitatis ac-
precij est argentum, cuius est aurum. SOC. Ergo oportet
hoc lucro adijcere, & estimationem scilicet ac precium.
Nunc utique argentum amplius cum sit, quā aurum,
haud aequè æstimandum ac preciosum dicis: aurum ue-
rò minus existens, præciosum quoque ac dignum. HIP.
Et maxime, sic enim se res habet. SOC. Ipsa ergo esti-
matio dignitasq; lucrum continet, siue parua res siue ma-
gna sit. Indignū uerò æstimatione, lucro caret? HIP. Pro-
fecto. SOC. Ipsum preciosum ac dignum, uocas aliud di-
gnum, quā acquisitū dignum? HIP. Acquisitū. SOC.
Dignū autē quæsitū uile an inutile. HIP. Uile. SOC.
Utile nonne bonum? HIP. Est. SOC. O uir omnium for-
tissime, nonne iam tertio & quarto conclusum à nobis est,
lucrum bonū esse? HIP. Videtur. SOC. Memoria tenes
unde sermo hic incidit? HIP. Arbitror. SOC. At si mi-
nus ipse memineras, ego in memoriam reducam. Ex eo. n.
quòd negares bonorum uirorum esse, lucra qualibet acce-
ptare, sed ex lucris bona duntaxat, mala uerò nequa-
quam. HIP. Hinc sanè. SOC. Nonne lucra omnia ef-
se bona, seu magna siue parua sint, ratio nos fateri
coëgit? HIP. Coëgit certē, ò Socrates, me magis, quā
persuasit, sed forsitan deinceps persuadebit. SOC. Nunc
tamen siue persuasus fueris, seu quomodocunq; aliter sis
affectus, consentis nobiscum lucra omnia & ampla, &
exigua bona esse? HIP. Consentio. SOC. Et bonos uiros
omnes bona omnia uelle fateris? nunquid? HIP. Fateor.
SOC. Malos autem dicebas omnia lucra tam exigua,
quā magna cupere. Nonne igitur secundum ser-
monem tuum uniuersi homines, et boni pari-
ter atque mali lucrucupidi esset? HIP.
Videtur. SOC. Nemo igitur recte
uuperabit lucrucupidos,
cum ipse quoque lucris
cupidus sit.

Hinc uide
singula au-
ripodo tum
ualuisse duo
dena pondo
argenti.

Cōcluditur
oēs homines
lucricupi-
dos esse.

exercitatus haberi velle videretur. Interrogandū autem
 censui illum, qui sapiētiō videri volebat, ut si qua possem
 vtilitatem reportarem. Dixi igitur ad eum, in communi
 me isthoc proposuisse: quod si putas melius hoc te responsu
 rum, illud idem te nunc interrogo, vtrum videatur phi
 losophari pulchrū esse, an secus? Hęc ferē cum diceremus,
 audierunt adolescentes, atque missa ea q̄ inter ipsos erat
 cōtentione, ad ea quę differēbamus audiēda se ipsos silē
 tio parabant. At amatoribus quid acciderit, nescio. Ipse
 certē obstupui. Semper. n. noua ac pulchra stupefco. Vide
 batur itaq; mihi alter me non minus certare. Respōdit au
 tem ille mihi, & ualde quidem ambitiosē. Siquando, o So
 crates, philosophari turpe esse ducerem, neque me hominē
 putarem, neque quemuis alium sic affectum. Innuens au
 tem in amulum dicebat hęc ea uoce, ut amici exaudire
 possent. Hic ego, pulchrum igitur tibi philosophari vide
 tur? & maxime quidem, inquit ille. Quid ergo, in
 quam, num videtur tibi fieri posse, ut norit quis turpē ne
 sit aliquid, an pulchrum, nisi prius quid ipsum sit norit?
 Non. Nosti igitur inquam quod est aliquid philosophari?
 Noui equidem. Quid est? Quid aliud quam iuxta So
 lonem? Dicebat enim alicubi Solo. Discenti assidue mul
 ta, senectū venit. Et mihi quidem videtur semper sic oportere
 aliquid discere cum hominem, qui philosophus futu
 rus sit, siue iuuenis, siue senex sit, ut in vita quamplu
 rima discat. Atque is primo usus est mihi aliquid dixisse.
 Deinde mecum reputans, interrogauit, nū eis philo
 sophia polymathia, idem quod multa discere, videretur.
 Et ille omnino inquit. Existimas inquam pulchrum ali
 quid solum esse philosophiam, vel etiam bonum? Et bo
 num inquit. Vtrum philosophia id proprium facit, an
 etiam alijs eodem pacto tribuis: ut Verbi gratia, studiū
 gymnastica, non modo pulchrum esse, sed etiam bonū?
 Tunc ille ludens duo protulit. Aduersus hunc, inquit,
 dico, quod neutrum sit, aduersus autem te, o Socrates, et
 pulchrum et bonum simul esse fateor. Ergo in gymnasijs
 etiam multum laborem existimas esse gymnastica stu
 dium? Et maxime quidem, inquit ille, quemadmodū in
 philosophando multa discere, philosophiam puto. Ego
 vero credis inquam, gymnastica studiosos aliquid aliud
 appetere, quā ut eorum corpora bene se habeant? Idip
 sum inquit. Num multi labores bonam corporis habitudi
 nem efficiunt? Quonia pacto, inquit ille, ex paucis labori
 bus robustū corpus fieri possit? Hic mihi uisus est gymnā
 sticus ille prouocandus esse, q̄ mihi peritus gymnastica au
 xilium ferret. illum igitur percontatus sum. Quid uir
 optime isto loquente tu taces? Num & tibi uidentur ho
 mines ē multis potius laboribus, quā temperatis ro
 bur acquirere? Equidem, o Socrates, ego illud quod di
 ei solet. Videre uideor, nempe ex moderatis corpus bene
 sese habere. Vnde inquam uides? non in somnē potius &
 nauiseabundum uirum, ceruicēq; molli & curis extenua
 ta reddunt? Et quum hęc annuisset, delectati adolescen
 tes, riserunt. Alter autem ille erubuit. Tunc ego, quid
 tu igitur? concedisne, nec paruos, neq; magnos labores ha
 bitudinem bonam corporis efficere, sed moderatos? an no
 bis qui duo in eodem sententia sumus, repugnās? Li
 benter equidem, inquit, huic repugnarem, atque aduer
 sus eum ualerem, id quod proposui, defendere, etiam si
 causam haberem minus ualidam. Nullius enim pręci

est. Verum tecum haud decet insolentius contendere:
 confiteor igitur, non multas, sed temperatas exercitatio
 nes bonum corporis habitum hominibus prestare. Cibi au
 tem inquam multi, an moderati? Et cibi ait. Præterea
 compulsi eum, ut concederet reliqua omnia quę circa cor
 pus uersantur, temperata quidem prodesse quamplurimū,
 pauca uero uel nimia nihil. Et ille moderata inuare con
 fessus est. At quę ad animam spectant, inquam, cū mo
 derata adhibentur, conducuntne magis an immoderata?
 Moderata, disciplina autem nōne ex ijs sunt quę ani
 mę adhibentur & conferunt? Concessit. Ex disciplinis
 itaq; quę temperata sunt, non quę multa, utilitatem
 afferunt? Concessit. Quęnam ergo interrogare merito
 conueniat, quales sint labores atq; cibi corporibus accōmo
 di? In hoc tres arbitro conuenimus, medicum, uidelicet uel
 pædotribā interrogandū. Quem uero de spargendis semi
 nibus, quantum sit cōmodum? Agricolam consentaneū
 est. At uero de semente & plantatione disciplinarum
 in anima, quęnam merito percontemur, quales quan
 tate sufficiant? Hic cum ambiguitatis pleni essemus,
 ego iocans inquam, vultisne postquam nos in hoc ambi
 gui sumus, ab ijs adolescentibus isthuc quaramus? An
 forsitan erubescimus, quemadmodū procos inducit Home
 rus, quū nolent alium quenquam præter se arcum inten
 dere? Sed cum grauius ferre viderentur, alia quadam
 via inuestigare aggressus, Qualia, inquam, esse debe
 re conuenimus quę oportet philosophum discere, quū ne
 que omnia, neque multa sequi debeat? Suscipiens autē sa
 pientior ille, pulcherrimas ait, atq; maxime congruas
 aīo disciplinas eas esse, ex quibus maximam quis gloriā
 in philosophia consequatur: maximam uero gloriā adi
 pisci, si omnium artium peritus sit: aut si minus omnium,
 plurimarum saltem, earumq; præsertim quę æstimatione
 sunt dignę, ea præ ceteris discens, quę liberos homi
 nes decet, quę uel intelligentiā ratione, non manuū mi
 nisterio conficiuntur. Tum ego, sic, inquam, dicis,
 quemadmodum in opificijs contingit? Vbi opificem qui
 dem quinque ad summum, aut sex minus emerēs, archi
 tectum uero ne drachmarum quidem decem millibus:
 nauis per oēm Græciam rari admodum reperiuntur: nun
 quid tale aliquid ais? Ille assensus idipsum se dicere con
 fessus est. Eum mox interrogabam, vtrum possibile es
 set, duas eundem duntaxat artes hoc pacto, nedum per
 multas magnasq; percipere, Et ille, Ne ita me dicere pu
 tes, inquit, o Socrates, quasi philosophantē oporteat sin
 gulas artes ad summū prosequi, quemadmodum artifi
 ces illos: Verū, ut liberum uirum eruditumq; decet, ut
 potis sit percipere quę ab unoquoq; artifice proferuntur,
 atq; id præ ceteris qui tū adsunt: præterea ita mente oīa
 coniectare, ut semper ipse elegantissimus, ac sapientissi
 mus oīum in unoquoq; eorum quod ē quocunq; adducitur,
 appareat. Atq; ego (adhuc. n. quorsum tenderet ambi
 gebam) intelligo ne, inquam, qualem dicis esse uirum
 philosophū? Videris. n. mihi talem dicere, quales in cer
 tamine sunt pentathli, cursoribus, uel peltastis iaculato
 ribus collati. Etenim illi cursoribus, uel peltastis in eorū
 certaminibus inferiores sunt, secundumq; locū tenent, reli
 quorū uero athletarum primi atq; victores. Tale aliquid
 forte dicis philosophiæ studium conferre philosophis, ut ab
 ijs qui in quauis arte supremi sunt, in eadem arte intel
 ligentia

Ordo que
 stionum a
 nalyticarū,
 non sciatur
 quale, nisi
 sciatur quid
 sit, neque
 quid sit, si
 ignoretur
 an sit.
 Prima defi
 nitio philo
 sophiæ ex So
 lone.

ab eodem
 in opificijs
 quocunq;

Confutatio
 à rōne alio
 rum studio
 rum.

Secūda phi
 losophiæ de
 finitio.
 Declaratio
 definitiois.

Architecti
 rari admo
 dum.

Architecti
 rari admo
 dum.

ligentia quidem superentur, secundumque locum teneant, reliquos vero antecedant, ut philosophus in singulis facultatibus secunda cuiusdam homo sortis existat. Eiusdem videris philosophantem virum ostendere. Recte, inquit, o Socrates, accipis de philosopho dicta, qui cum pentathlo comparaueris. Est enim proculdubio talis, ut nulli negotio seruire penitus velit, neque in aliqua re, usque ad summum elaborare, ne propter vnius exactam diligentiam in alijs oibus instar manuarum eiusdem consenscat consumaturque, sed oia mediocriter temperate attingat. Post hanc responsionem cupiens planius nosse quidnam diceret, bonos, inquam, viros, vtilisne, an inutiles esse censes? Vtilis, inquit, o Socrates. Nonne si boni vtilis sunt, inquam, mali inutiles erunt? Consensit. Quid autem, philosophos viros vtilis vel inutiles putas? Ad haec ille maxime oia vtilis esse philosophos asseueravit. Age igitur, dignoscamus si tu quidem vera dicis, quo vtilis nobis sunt isti secunda sortis hoies. Manifestum enim est, quod unoquoque artifice inferior est philosophus. Annuit. Age, inquam, si vel tu, vel ex amicis aliquis tibi charissimus egrotaret, vtrum ad curam valetudinis philosophum illum secundarium induces, an medicum? Vtrunque. Ne mihi dicas vtrunque: sed vtrum potius? Nemo, inquit, ambigat, medicum & magis & prius. Quid autem in nauis fluctibus agitata, vtrum te & tua gubernatori, an philosopho committeres? Gubernatori, inquit. Et in reliquis oibus quaestio artifice adest, philosopho non erit locus? Apparet, inquit. Philosophus igitur tunc inutilis est, quum artifices non desunt. Confessi vero sumus bonos quidem vtilis esse, malos inutiles. Coactus est denique confiteri. Quid ergo post haec abs te petam? An forsitan inhumanum est, vltra perquirere? Quicquid lubet, inquit. Nihil aliud peto, nisi ut iterum concedantur iam dicta, habent autem se in hunc modum. Confessi sumus philosophiam bonam esse, & extare philosophos, atque eos ipsos bonos, bonos autem vtilis, malos contra inutiles. Deinde concessimus, dum artifices adsunt, philosophos inutiles esse, & artifices adesse semper. Nonne concessa haec sunt? Sunt. Confitemur igitur, ut videtur secundum tuam orationem, si quidem philosophari est esse scientem in artibus eo pacto, quo tu idem dixisti, malos philosophos esse, & inutiles, quandiu inter homines artes sint. Verum non ita habet, o amice. Neque philosophari circa artes studiosè versari est, nec multis negocijs incumbere, aut multa perdiscere, sed aliud quiddam: siquidem existimo & absurdum hoc esse, & mechanicos rectius appellari, qui artibus incumbunt. Hoc autem modo planius intelligemus, an vera dicam, necne, si hoc respondeas. Quinam equos recte domare norunt? Vtrum qui illos meliores reddunt, an alij? Qui meliores. Quid autem canes, num qui eos meliores reddere, idem & recte coercere norunt? Oïno. Eadem ergo ars, & meliores reddit, & recte coercet? Eadem. Quid autem? Vtrum qua & meliores facit, & recte coercet, eadem discernit bonos & malos, an alia? Eadem, inquit. Vis igitur, inquam, idem de hominibus constituamus, quae optimos reddat homines, eadem sit, quae & recte cohibet, & qui boni sint, quine mali, discernat? Prorsus, inquit. Nonne quaecumque vnum, eadem & multos: & quae multos, & vnum?

Definitione
inductione
colligit.

Philosophia
est qua quis
quam se, &
alios bonine
an mali
sint, cognos-
cit.

Ita. Et in equis praeterea ceterisque omnibus eodem modo? Eodem, inquit. Quae nam scientia est, quae intemperantes, et legum transgressores in ciuitate recte punit? Nonne iudiciaria? Prorsus. An vocas iustitiam aliam quandam praeter eam? Nullam, inquit. Nonne quae scientia recte castigant & puniunt, eadem bonos & malos discernunt? Eadem. Quicumque vero vnum norit, plures quoque cognoscet? Cognoscet. At qui multos ignorat, ignorabit & unum? Consensit. Si ergo equus existens, bonos ac malos equos ignoret, seipsum ignorabit? Concessit. Et si bos cum sit, haud nouerit qui sint boni aut mali boves, sese etiam qualis ipse sit, ignoret necesse est? Ita est, inquit. Eodem quoque modo si canis fuerit? Confessus est. Nunc vero cum homo quisquam existens, ignoret bonos homines, & malos, nonne suspensus etiam ignarus erit, bonusne sit an malus? Adnuit. Seipsum ignorare, sapere an desipere est? Desipere. Seipsum itaque nosse, sapere est? Est, inquit. Hoc igitur, ut videtur, & inscriptio quae in Delphis est, praecipit, Prudentiam scilicet et iustitiam colere. Apparet. Hac eadem & recte cohibere scimus. Adnuit. Quae ergo recte cohibere scimus, ea vtrique iustitia est. Quae vero & nos ipsos, et alios dignoscere possumus, prudentia. Videtur. Eadem igitur est iustitia atque prudentia. Apparet. Quinetiam ciuitates tunc optime gubernantur, quum iniusti dant poenas. Vera narras. Atque haec ciuili scientia est. Est, inquit. Quid vero quoties vir vnus recte ciuitatem instituit, quod nomen illi conueniet, nonne tyranni et regis? Adnuit. Nonne tyrannica aut regia arte gubernat? Imò. Haec itaque facultates eadem cum superioribus sunt. Videtur. Quid vero quum vir vnus domum recte disponit, quod huic nomen maxime congruit? nonne oeconomicus ac dominus? Conuenit. Vtrum et iste iustitia bene regit familiam, an alia facultate? Iustitia. Idem est igitur, ut apparet, rex, tyrannus ciuili, oeconomicus, dominus, prudens, iustus: atque vna quoque, ars, regia, tyrannica, ciuili dominica, oeconomica, iustitia atque prudentia est. Videtur. Quid itaque philosopho viro, quoties medicus de egrotantibus quicquam dixerit, turpe est non posse dicta illius assequi, aut huc aliquid afferre, quasi aliorum artificum quisquam: cumque aut iudex, aut alius quisquam eorum, quos paulo ante retulimus, non absurdum in ijs, nec assequi dicta, neque quicquam conferre posse? Quis dicit absurdum, o Socrates, in tantis rebus nihil habere quod consulas? Vtrum igitur inquam, et circa haec philosophum, ut pentathlum esse oportere dicimus, & secundas tenentem inutilem esse, quandiu aliquis illorum est: uel primum quidem ipsum oportere domum suam nulli administrandam praebere, neque secundas in hoc partes tenere, sed ex seipso omnia castigare, recte indicantem, si quidem familiam suam recte administrat? Assentiebatur ille mihi. Atque ergo addidi. Tum si aut amicus huic aliquis uitae suae rationem, aut ciuitas quicquam discernendum, aut iudicandum committat, num turpe, o amice, sit secundas eum in his tenere, aut tertias, neque ducere potius existere? Ita mihi videtur inquit. Absit igitur, o vir optime ut philosophari sit plurima discere, artesque tractare. Cum ista dixisset, sapiens quidem ille ex antecedentibus rubore affectus tacuit. Indoctus autem affirmauit sic esse, & ceteri omnes dicta colaudarunt.

Pulchra
ra-
tiones ab
eodem &
di-
uerso, &
co-
trario sumi-
pt.

Declaratio
oraculi Del-
phici.